



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Peccatis Et Gratia, Fide, Spe, Et Charitate

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Difficultas III. Restaurantur argumenta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82969)

nalitas humana, terminans Naturam Christi, adeoque nec videtur ullum meritum Christi sic sumpti, si autem non videtur illa humanitas terminata ab ulla Persona, ergo nec prævidetur merens, meritum enim & actiones sunt suppositorum. Ex quo Principio sequitur, quod in signo rationis antecedente Decretum prædestinationis Christi, non fuerit hæc determinatè vera; Christus merebitur, cum non supponatur causa ad merendum necessaria, ipsa Persona. Denique per nos scientia conditionata, requiritur ad salvandam libertatem cum prædestinatione, Christus autem in Filium Dei naturalem, non est prædestinatus ex libertate, quomodo ergo Principium hoc nostrum, servit errori Arriano, docenti Christum electum esse in Filium Dei, titulo hujus prævisionis.

DIFFICULTAS III.

Restaurantur Argumenta.

GONET Articulo 6. proposuit Argumenta nostra, quæ ut evaderet, posuit aliquas Responsiones, quas necesse est hic examinare.

NOTO. Quomodo sit restaurandum Argumentum ex Luc. 10. v. 13. sumptum, & à nobis propositum primâ parte Disp. 5. N. 441. quamquam non tam est argumentum hoc restaurandum quàm alibi dicta huc applicanda.

Punctum Difficultatis 1.

Restaurantur duo Argumenta.

PRIMUM Argumentum sic habet. Si datur decretum prædeterminativum Christo increpanti Judæos, quod non sint conversi, cum convertendi fuissent Tyrii, si hæc signa vidissent, potuissent dicere Judæi, non sumus conversi, quia non formasti de nobis decretum prædeterminativum, quod formasses de Tyriis, hinc immeritò nos increpas, nam sine hoc decreto operari non possumus, & illud ponere non est in nostra potestate.

His quæ in contra adfert Gonet. Negatur, quod ex defectu Decreti efficacis, non colligatur defectus potentie ad poenitendum, si ipsum Decretum efficax, sit necessarium ad operandum, & si illo non posito, impossibile sit operari. Concedo quod potenti bonum facere & non facienti, peccatum est illi, sed nego, quod possit bonum facere, qui caret necessario requisito ad operandum, quale est per Thomistas, prædeterminatio.

Conceditur, quod potuissent replicare Judæi non conversi, cum fuissent Tyrii convertendi ut dicit Christus, adeoque quod potuissent dicere, quare non dedisti nobis gratiam congruam, quam eras daturus Tyriis. Sed hæc responsio Judæorum in principiis nostris non teneret, nam retulisset Christus: Non dedi vobis gratiam congruam, sed sine hac, potuissetis opera-

ri, cum tamen sine gratia prædeterminante, impossibile sit operari. Rursus, ego quidem non selegi, dixisset Christus, gratiam pro vobis congruam, sed ne illa foret congrua, vestra malitia fecit; jam autem non malitia hominum facit, ne hæc quæ Judæi v.g. data est gratia, sit prædeterminativa. Conceditur quod possit homo operari sine gratia efficaci, modo illi detur gratia sufficiens, sed nego ullam gratiam fore sufficientem, si ponatur, prædeterminationem esse necessariò requisitam, ad actum, & quidem ita, ut sine ipsa impossibile sit poni actum. Hinc si non ponatur gratia prædeterminans, quæcumque alia gratia, erit gratia verbaliter sufficiens, nec poterit cum illa agi poenitentia; siquidem ad posse agere, requiritur prædeterminatio: quod vide prima parte Disp. 5. num. 452. Unde ulterius si gratia prædeterminans, est ita necessaria ad operandum, ut sine illa impossibile sit poni operationem, carentes illâ, non essent pares iis, qui illam habent, etiam quantum ad ea, quæ se tenent ex parte potentie & actus primi.

Quod si inquiras, unde nobis constet de hoc, quod ita sit necessaria prædeterminatio, ut sine illa impossibile sit poni operationem. Colligit id potest ex argumentis quibus supra probavit dari prædeterminationem Gonet. Si enim prædeterminatio facit, quod Deus sit Prima Causa, quod sit Primum Liberum, quod item Prædeterminatio sit medium, quo extrahitur res ex statu possibilitatis in statum existentie etiam conditionatæ; Hinc fit, ut sicut impossibile est poni actionem sine Causa Prima, sine concursu Primi Liberi, sine extractivo è statu possibilitatis in statum existentie etiam conditionatæ, ita nec poterit fieri actio sine prædeterminatione, quæ omnium horum est salvativum. Colligitur idem ex verbis Alvarez Disp. 29. ubi num. 4. ait: Præter auxilium sufficiens quod tribuit posse, est absolute necessarium aliud gratia prævenientis efficacis, tribuens actualiter posse operari. Similia habet Disp. 33. num. 31. Peccator qui non implet præcepta divina, non habet auxilium efficace, prout necessarium est, ut actum operetur. Et disputatione 22. num. 33. in sensu composito nihil velle possumus, sine prædeterminatione.

NOTO. Quomodo sit restaurandum. Secundum Argumentum quod sic habet. Si necessarium est ad actum operandum decretum prædeterminativum auferetur tota ratio, gratia sufficientis. Vide hoc argumentum tractatum primâ parte Disp. 5. num. 452.

His quæ in contra adfert Gonet. Conceditur ad confirmationem, quod suffecerit æqualitas inter Judæos non conversos, & Tyrios convertendos sub conditione, quod inquam suffecerit æqualitas, quantum ad actum primum, sed nego esse æqualitatem quantum ad actum primum, si ponatur, prædeterminationem esse necessariam ad actum, si enim illa non haberetur,

tur, qui est æqualitas ad actum Primum? cum non habeatur ipse actus primus, hoc est necessarium requisitum ad operandum, ipsa scilicet prædeterminatio, Negoque quod applicatio ad actum, non se teneat ex parte actus primi, si sine illa impossibile sit poni operationem, & si illa applicatio non sit in manu ipsiusmet hominis, talis autem applicatio est prædeterminatio.

Concedo, quod obligatio fundetur super posse, non super actum, est enim ad actum, sed Nego quod decretum prædeterminans, non det posse sed illud supponat, quomodo enim ante gratiam prædeterminantem, datur sine nota Pelagianismi posse in nobis ad actum sicut oportet ad salutem, cum illud posse in his principiis, sit ipsa voluntas.

Conceditur cum Gonet, quod potentia expectata illa sit, cui nihil deest ex requisitis ad operandum per modum actus primi. Sed probandum restabat Gonet, quod prædeterminatio per Thomistas requisita, non sit per modum actus primi, si sine illa impossibile sit poni operationem, & si illa, est causa nostræ operationis. Explicandum item fuisset, quo fundamento dicat prædeterminationem esse requisitam ex parte actus secundi; nam si ex eo requisita est ex parte actus secundi, quod sine illa non possit poni actus secundus, rediret imprimis querela Judæorum: *Quare non dedisti nobis requisitum ad actum secundum, sine quo non possumus ponere actum secundum.* Deinde, si istud tenens se ex parte actus secundi, tamen est requisitum ad actum secundum, hoc ipso verbaliter distinguetur istud requisitum per modum actus secundi, à requisito per modum actus primi. Certè enim requiritur species ad videndum, seu ponendum actum secundum visionis, beneque inferitur, speciem esse requisitam ad videndum per modum actus primi. Rursus, quis dicat quod concursus Dei, voluntas illius, auxilium supernaturale, non requirantur per modum actus primi, & tamen hæc omnia requiruntur per modum actus secundi, ut fiat actualis operatio. Denique ipse Gonet requisitum per modum actus secundi, explicat ante paragraphum *explicatur hæc Responsio*, explicat inquam per modum applicationis & reductivi, de actu primo ad secundum, & tamen reductivum de actu primo ad secundum, est tenens se à parte actus primi, & à parte potentia.

Conceditur explicationi Responsionis, quod censetur habere auxilium perfectè sufficiens ad agendum, qui habet totum complementum Potentia & actus primi; sed negamus, quod ille cui deest motio & applicatio ad actum secundum, sine qua impossibile sit poni operationem, & quam applicationem ponere, non sit in potestate operantis, quod talis habeat omnia complementa, requisita ad actum primum.

Format postea Gonet aliquas Instantias, qui-

bus ostendit, quantumvis prædeterminatio sit necessaria ad actu operandum, quod tamen si ne illa possit dici homo habere completam potentiam ad operandum, nihilque in eo desiderari ex parte actus primi: unde assumit hanc probandam Thesim: plura requiruntur in causa ad hoc ut operetur, quam ad hoc, ut possit operari. Pro quo

1. INSTANTIA ejusdem est, nam in oculo verbi gratia ad hoc ut videat, requiritur præsentia Objecti, ut autem possit videre, sufficit potentia visiva, sana & integra. Sed

RESPONDERI potest, præsentiam Objecti non se tenere à parte actus primi videndi, cum ipsum objectum, non producat visionem; jam autem ipsa prædeterminatio, est productiva actus sicut oportet cum voluntate, & est requisita ad hoc, ut homo possit actu operari, qui ergo voluntas sine prædeterminatione habebit totum complementum potentia? Unde & S. Augustinus lib. de Natura & gratia cap. 26. docet, quod quantumvis in tenebris & potentia visiva maneat, & instrumentum videndi, oculus, nihilominus non dicitur quisquam posse videre in tenebris, quia deest complementum tenens se ex parte actus primi, nempe lumen, unde ait Augustinus: *Oculus corporis etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus, non potest cernere.* Infer si oculus sine lumine non potest videre, qui poterit agere voluntas sine Prædeterminatione, si prædeterminatio est requisita, ad hoc, ut homo possit actu operari.

Deinde potentia videndi, supponit pro ipso principio effectivo Visionis, hinc si habeatur principium effectivum Visionis, habetur potentia videndi. Quia verò nisi adsit prædeterminatio, non habetur principium effectivum actus supernaturalis, ideo sine prædeterminatione, non habetur potentia operandi supernaturalis, & sicut sine lumine gloriæ, non potest videri Deus, ita nec sine prædeterminatione, possunt poni actiones meritoria.

2. INSTANTIA est, ad hoc ut possit Sacerdos consecrare sufficit character, ut verò actu consecret, requiritur intentio & materia præsens.

RESPONDETUR. Non esse hanc locutionem exactam, quod ad hoc ut possit consecrare Sacerdos, sufficiat character, non enim character, est posse consecrandi, sed Index ipsius posse. Sed quidquid sit de hoc, negari imprimis potest, quod ad hoc, ut possit consecrare sufficiat character, & non requiratur posse intentionem facere, posse materiam habere præsentem: & revera si ita homo sine prædeterminatione non potest operari, sicut non potest Sacerdos consecrare, nisi habeat materiam, videtur totum dari, quod argumentum desiderat. Deinde disparitas etiam dari potest, quod cum materia seipsam non consecret, bene posse conse-

consecrare, salvari poterit, etiam seclusa Materiam præsentem. Possit autem operari super naturaliter, habetur à prædeterminatione.

3. INSTANTIA, ut homo actu convertatur, requiritur gratia congrua, non autem ut possit converti.

RESPONDETUR. Cum sine gratia congrua, possit homo actu operari, mirum non est, quod non requiratur ex parte actus primi, jam autem sine prædeterminatione non potest homo actu converti, requiratur ergo illa ex parte actus primi.

4. INSTANTIA, ut Deus possit operari & creare, sufficit Omnipotentia, ut autem defa-cto operetur, requiritur decretum applicans Omnipotentiam.

RESPOND. posse negari, quod comperat Omnipotentia potentia creandi independentem à potentia volendi creare. Sed quidquid sit de hoc, in oppositum hoc adfertur, quod cum continentur effectus creabiles eminenter in ipsa, met Omnipotentia, idque actu, mirum non est, quod independentem à decreto dicatur Deus posse creare. Quia autem ut constat ex fide, independentem à gratia, non continetur in voluntate actus sicut oportet, sit ut sine gratia non dicatur homo posse actum facere sicut oportet. Et quia nisi ponatur prædeterminatio, non habetur principium sufficiens, ut alibi ostenditur, actus sicut oportet, idem prædeterminatio requiratur tanquam complementum, tenens se ex parte actus primi. Denique etiam distinguendo, quod aliud sit posse creare, aliud posse creare actu, nego quod posse creare actu, non se teneat ex parte actus primi tanquam ejusdem complementum, consequenter & prædeterminatio quantumvis dicatur requiri ad posse operari actu, nego quod se non habeat, ex parte actus primi.

Conceditur interim Gonet, quod aliud sit posse operari, aliud sit posse operari actu, sed imprimis probandum fuisset Gonet, quod istud posse, non idem sit ac potentia remota, de qua hic non queritur. Probandum item fuisset, cur hæc, quæ requiruntur ad posse operari actu, non se etiam tenent à parte potentia, & à parte actus primi completi. Rursus danda fuisset Regula unde dignosci possit, quod aliquid requiratur tantum ad posse, & quare aliquid requiratur ad actu posse. Adeoque unde cognosci posset, quod concursus Dei innexus prædeterminationi, non se teneat à parte ipsius posse.

Hinc inferes assumpsisse quidem Gonet hanc propositionem: Homo sine decreto, & auxilio efficaci, habet Potentiam completam ad operationem, sed hæc ipsa propositio probanda fuisset. Et si verum est per Gonet, quod non potest esse defaecto conversio sine prædeterminatione, quomodo ista prædeterminatio non ingreditur ipsum actum primum, & ipsum posse simpliciter.

Probare item debuisset, quod sine decreto prædeterminativo habeatur potentia antecedens, quomodo item sine eadem, sit potentia, sufficienter instructa ad operandum.

Quod attinet ad hanc Propositionem: Potentia consequens est potentia conjuncta cum actu & applicata operationi, certe circa illam redibit quæstio, cur illa applicatio ad operationem, si sine illa impossibile est sequi operationem, & si illam ponere non est in nostra potestate, cur inquam illa, non se teneat à parte actus primi, & cur non requiratur, tanquam complementum ejusdem.

Concedamus interim, quod Potentia consequens, sit Potentia conjuncta cum actu, sed querere restat, cur prædeterminatio non sit Potentia conjungibilis cum voluntate, & ea mediante cum actu, quæ tamen Potentia teneat se à parte actus primi, habeatque rationem antecedentis. Quanquam quod etiam in prima parte repetitum dictum est: Impossibile est haberi posse operari, & non haberi posse operari actu, cum illud posse aliud operari, dicat essentialem & imbitum respectum ad actum. Hinc si essentialiter prærequiritur prædeterminatio ad posse operari actu, essentialiter requiratur ad posse operari.

Conceditur ad primam Confirmationem dictis à Gonet, quod implicet contradictionem, hominem converti sine gratia efficaci, hoc sensu, quod non sit convertendus, sine illa, sed non implicat quod possit converti, & ad hoc ne divina præscientia fallatur, requiritur hoc, ut implicet frustrari actu gratiam efficacem, sed non requiritur, ut excludatur etiam posse frustrari. Cæterum licet conveniamus cum Thomistis in hac propositione: Gratia efficax non potest frustrari eventu, istud *Non potest* per nos habetur ex suppositione ipsiusmet conversionis, quam impossibile est, si sit futura, non esse futuram, adeoque salvamus adhuc libertatem, quam ponimus necessitatem, non nisi ex suppositione exercitii libertatis. Jam autem per Thomistas, quod cum prædeterminatione non possit non conjungi eventus, habetur ex ipsomet principio actus, nempe prædeterminatione, hinc qui illa carebit, carebit principio completo, quia carebit principio actus.

Deinde hæc doctrina Gonet videtur non cohærere principiis aliorum Thomistarum, qui enim hoc solo sensu implicat converti hominem, quia non est convertendus sine illa, si posita prædeterminatione in sensu composito, implicat oppositum fieri, si illa non posita, deest principium necessarium ad operandum.

Quod autem dicit Gonet: *Sine Decreto efficaci, non habet voluntas Potentiam ad actum, si ly sine decreto determinet actum*, id ad præsens non attinet. Illustrat hanc suam doctrinam Gonet: Sicut voluntas sine amore potens est amare, si

supponit Gonet, quod per nos omnis suppositio antecedens, tollat libertatem, sed non nisi ea, quâ positâ, non potest non sequi eventus, licet eam ponere, non sit in nostra potestate, hinc quia positâ iudicii indifferentiâ, nondum determinetur voluntas, iudicii indifferentiâ, non tollit libertatem. Scientia etiam simplicis Intelligentiæ, est suppositio antecedens, non tollit tamen libertatem, quia advertit ad possibilitatem utriusque partis, & ad nihil determinat, sed si aliqua suppositio antecedens sit talis, ut eâ positâ impossibile sit non poni eventum, sitque talis, ut eam ponere vel non ponere, non sit in nostra potestate, quantumvis illa oriatur à prima radice libertatis, auferet libertatem, cum etiam prædeterminatio coactiva, & quæcunque causa necessaria, oriatur à Deo, hoc est, à prima radice libertatis, & tamen auferat libertatem, nisi dicas, id salvare libertatem, quod oritur à prima radice libertatis, communicante se in linea liberi, adeoque à prima radice libertatis formaliter sumpta, non autem materialiter. Sed negamus, quod prædeterminatio oriretur à prima radice libertatis formaliter sumpta. Ex quo etiam Principio ostendi potest, quod ex eo non salvetur libertas positâ prædeterminatione, quia consequitur æquivalenter ad actus nostros liberos, ex eo quod consequatur efficaciam divinæ voluntatis, in qua continetur nostra libertas, continetur enim etiam causa necessaria in infinita efficacia divinæ voluntatis, & tamen illa non salvat libertatem, prædeterminatioque continetur in libertate divina materialiter sumpta, sed non in sumpta formaliter, quia per prædeterminationem non se communicat libertas divina in linea liberi.

Negatur etiam iis quæ Gonet subjungit, quod posito decreto prædeterminativo, potentiâ non nisi consequente non possit fieri v. g. conversio Petri. Potius enim non potest fieri potentiâ antecedente, cum prædeterminatio sit causa, adeoque aliquid antecedens conversionem.

Conceditur cum S. Thom. q. 6. de veritate a. 4. ad 8. & 1. par. q. 23. a. 3. ad 3. & a. 6. ad 2. & ad 3. quod in sensu composito non possit non salvari prædestinatus, possit in sensu diviso, & quod talis compositus sensus salvet libertatem, sed per nos ideo salvat libertatem, quia innititur illa necessitas, & infallibilitas alicui exercitio nostræ libertatis, sito in nostra potestate, cum ipsum decretum prædestinativum, non formet Deus, sine prædirectione scientiæ conditionatæ. Quia autem prædeterminatio, non habet infallibilitatem ex nostro consensu, sed antecederet ante illum, hinc quamvis in sensu diviso ab illa possit non sequi eventus, ideo adhuc positâ prædeterminatione, non salvatur libertas. Aristoteles lib. 1. de cælo T. 119. agnoscit etiam per nos, quod sedens quamvis non possit non

sedere retineat potentiam seu libertatem sedendi, sed quod liberè sedeat, ex eo contingit, quod necessitas illius sensus compositi, sit necessitas oriunda ex suppositione consequenti, hoc est ex suppositione ipsius utis libertatibitrii.

Deinde positâ prædeterminatione non querimus de hoc, quod debeat homo habere potentiam ut simul amet & non amet, nam etiam nos quantumvis excludamus prædeterminationem, non tamen agnoscimus, ut una dum amat homo, possit etiam non amare, sed difficultas in hoc est, an quod sit amaturus, oriatur ex prædeterminatione, vi cuius determinetur, ut non nisi amet, & si ita determinatur, quomodo id fieri potest salvâ libertate, concedimusque quod prædeterminatio ad amorem, & amor eodem instanti ponantur, sed querere restat, si prædeterminatio ad amorem est prior prioritate à quo, quomodo non destruit libertatem, si sit talis, ut illâ positâ, impossibile sit non sequi amorem.

Conceditur, quod si Deus præparet ad amorem media, quibus homo possit non uti & uti, licet sit defecto usus, salvanda sit libertas, sed querere restat, si essentia Prædeterminationis est, ut vi illius non nisi v. g. amet homo, quomodo positâ illâ, potest non uti ad amorem illâ prædeterminatione homo; Concedo, aliud esse ineluctabile, aliud non eluctandum; aliud irresistibile, ab eo cui non resistitur. Sed querere restat, quomodo prædeterminatio non sit irresistibilis, ineluctabilis, si positâ illâ tanquam causa eventus, impossibile sit non sequi eventum. Sanctus Thomas 1. 2. d. 2. quæst. 112. Art. 3. in Corp. solum loquitur de infallibilitate, sed in nitente exercitio prævisio libertatis, adeoque suppositionis consequentis, quod etiam vult S. Thomas q. 6. de veritate ar. 3. Ibidem etiam a. 3. quando dicit S. Thomas, quod Deus dedit modum rebus, ut sua voluntas impleteretur, loquitur vel de ipsâ potentia libera, jureque servandæ eam indemnem, vel de selectione auxilii, quod prævidit eventum habiturum, sed non loquitur de modo, vi cuius determinetur voluntas, ut hoc non nisi velit: & ratione hujus selecti auxilii, nihil resistit divinæ motioni, verumque erit quod dicit quodlibeto 12. art. 3. quod providentia divina certissimo modo ducat ad finem, licet auxilio non prædeterminante, sed selecto, ex iis, quæ sunt prævisa eventum habitura, ratione cuius etiam selectionis auxilii, videre potest Deus secutionem eventus, cum nihil desit ut jam sequatur eventus. Quantumvis autem veritas hujus Propositionis, sol causabit fructum in planta, non habeat veritatem absolutam, eo quod adhuc multa desiderantur compingenda ad illam verificandam, & cum veritas hujus Propositionis absoluta non possit haberi, habetur non nisi conditionata ex suppositione v. g. quod

Ly sine amore, teneat se ex parte Potentiæ, non tamen si determinet actum, & cum illo coniungantur, quia fieret ille sensus, voluntas est potens ad amandum, sine amore, quod implicat ex Terminis, sed hæc etiam illustratio non tenet. Quia non se æqualiter habent hæc propositiones: Voluntas sine amore potens est amare, & voluntas sine prædeterminatione potens est amare. Nam quod voluntas sine amore potens sit amare, secundum phrasim Gonet, exinde est, quia ipse amor non est potentia, ut ponatur actu amor, sed est effectus istius potentie, & exercitium; jam autem prædeterminatio est potentia seu causa ad actu amare, nec est prædeterminatio, ipse effectus Potentiæ.

Negatur Confirmationi secundæ, quod prædeterminatio non sit conditio ad Potentiam, sed non nisi ad actum, si enim sine illa impossibile est haberi actum, & habet se ut principium influens in actum, quomodo non est conditio ad potentiam, Et si Breviarium exigitur per Gonet, ut complens potentiam ut possit, cum etiam compleat Potentiam prædeterminatio, ut possit poni actus, cur prædeterminatio non tenebit se ex parte actus primi. Et si dicas, requiri tantum prædeterminationem, ut possit actu poni operatio, dicam etiam Breviarium requiri tantum ut possit actu recitari officium, & si dicat Gonet Breviarium concurrere loco speciei, sine quibus homo, nec in actu primo potest recitare, dicam etiam à pari, eodem modo, sine prædeterminatione, nec in actu primo, posse hominem operari, cum non possit operari, quin in actu primo eluceat non esse illum causam Primam sed secundam, non esse illum Primum liberum, &c.

Punctum Difficultatis 2.

*Restaurantur Argumenta ab Aucto-
ritate.*

§. 1. SOLVIT Argumenta Gonet petita ab auctoritate Patrum. Sed non habet quidquam speciale, quod non facile ex dictis prima parte Disp. 4. solvi possit. Illud autem, quod adfert ad auctoritatem Augustini, qui lib. 1. ad Simplicianum q. 2. Deum sic vocare eum, cuius miseretur, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat, quod inquam adfert Deum sic vocare, quomodo prædestinat eis congruere, ut vocantem non respuant, videtur esse extortum, si enim prædeterminatio facit, ut non nisi operetur homo, quid erit necesse scire, quomodo ei congruat, siquidem si congruat, si non congruat, sequitur operatio, ad eum planè modum, quo non est necesse præscire an congruat, vel non congruat flammæ flupa, si determinatus est ignis, ut comburat, & stupra comburantur, nec dicit Augustinus, quod prædestinatio faciat ut congruat, sed facit quia congruit.

Hinc omisiss dictis Paragr. 2. accedendum erit ad Parag. 3. circa quem.

NOTO. Docet S. Thom. quod in causis liberis & contingentibus non possit determinatè nosci eventus, consequenter non dabitur Prædeterminatio, quia illa deberet esse causa eventus in qua certo ille nosceretur, quod autem dicit Gonet, verum id esse, de causis sumptis, ante decretum voluntatis divinæ, id non convincit. Tum quia est ista arbitraria doctrinæ S. Thomæ restrictio, & ex nullis S. Thomæ verbis colligi potest, quæ habeantur iis locis, in quibus docet, in causis contingentibus non videri determinatè eventum. Tum quia non potuisset S. Doctor tanquã scholasticè dubitabile proponere, an in decreto prædeterminante noscatur eventus, cum indubitabiliter apparet impossibile esse, quin noscatur. Tum quia cum possit decretum divinum cogitari & prædeterminativum, & aliud non prædeterminativum, & tamen ad eventum liberum requisitum, conformius est positioni S. Thom. admittere hoc secundum decretum, quod esset causa eventus contingentis, & tamen in ea, non posset videri eventus, ut ita universaliter salvetur, effectum liberum in suis causis non videri.

Negatur Responsioni ad secundam probationem vi dictorum supra, & alias in prima parte, quod Prædeterminatio sit prima causa & radix nostræ libertatis, licet concedamus, quod à Deo procedat libera determinatio nostræ voluntatis, sed non processione, quæ faciat ut hoc non nisi velit voluntas. Concedimus, quod hoc sensu voluntas non se primò determinet, quia sicut esse, ita & se determinare, habet dependenter à Deo, sed dependentia non in hoc stante, ut hoc non nisi velit voluntas, sed dependentia, quia ipsum esse liberi, jus indemnæ libertatis, compuncta necessaria, ex Dei voluntate habet, illo insuper coeffectivè in illam ipsam determinationem influente. Deus qui habet ex se necessitatem, ut loquitur S. Thom. 1. part. q. 19. a. 3. ad 5. adeoq; habet omnia complementa ex se agendi, non indiget ab aliquo exteriori per oblationem compuncti compleri, indiget creatura libera, cuius determinationis per complementa agendi necessitatem ostendit S. Thomas, 3. contra gent. cap. 2. & licet voluntas se ipsam moveat, potest moveri ab alio, per oblationem compunctiorum, quod voluit S. Th. q. 3. de malo, a. 2. ad 4. accipereque etiam ipsam esse liberi ab alio, quod ipsum indicat 1. par. q. 105. a. 4. ad 2.

Conceditur, quod prædeterminatio si detur, non sit præeventu, prior futura, prioritate in quo, seu durationis, sed si est prior prioritate causalitatis, & hæc causa posita, impossibile est non sequi eventum licet illam causam ponere, non sit in nostra potestate, qui illa prædeterminatione non tollitur libertas. Immeritò etiam

sup-

supponit Gonet, quod per nos omnis suppositio antecedens, tollat libertatem, sed non nisi ea, quâ positâ, non potest non sequi eventus, licet eam ponere, non sit in nostra potestate, hinc quia positâ iudicii indifferentiâ, nondum determinetur voluntas, iudicii indifferentiâ, non tollit libertatem. Scientia etiam simplicis Intelligentiæ, est suppositio antecedens, non tollit tamen libertatem, quia advertit ad possibilitatem utriusque partis, & ad nihil determinat, sed si aliqua suppositio antecedens sit talis, ut eâ positâ impossibile sit non poni eventum, sitque talis, ut eam ponere vel non ponere, non sit in nostra potestate, quantumvis illa oriatur à prima radice libertatis, auferet libertatem, cum etiam prædeterminatio coactiva, & quæcunque causa necessaria, oriatur à Deo, hoc est, à prima radice libertatis, & tamen auferit libertatem, nisi dicas, id salvare libertatem, quod oritur à prima radice libertatis, communicante se in linea liberi, adeoque à prima radice libertatis formaliter sumpta, non autem materialiter. Sed negamus, quod prædeterminatio oriretur à prima radice libertatis formaliter sumpta. Ex quo etiam Principio ostendi potest, quod ex eo non salvetur libertas positâ prædeterminatione, quia consequitur æquivalenter ad actus nostros liberos, ex eo quod consequatur efficaciam divinæ voluntatis, in qua continetur nostra libertas, continetur enim etiam causa necessaria in infinita efficacia divinæ voluntatis, & tamen illa non salvat libertatem, prædeterminatioque continetur in libertate divina materialiter sumpta, sed non in sumpta formaliter, quia per prædeterminationem non se communicat libertas divina in linea liberi.

Negatur etiam iis quæ Gonet subjungit, quod positò decreto prædeterminativo, potentiâ non nisi consequente non possit fieri v. g. conversio Petri. Potius enim non potest fieri potentiâ antecedente, cum prædeterminatio sit causa, adeoque aliquid antecedens conversionem.

Conceditur cum S. Thom. q. 6. de veritate a. 4. ad 8. & 1. par. q. 23. a. 3. ad 3. & a. 6. ad 2. & ad 3. quod in sensu composito non possit non salvari prædestinatus, possit in sensu diviso, & quod talis compositus sensus salvet libertatem, sed per nos idem salvat libertatem, quia innititur illa necessitas, & infallibilitas alicui exercitio nostræ libertatis, sito in nostra potestate, cum ipsum decretum prædestinativum, non formet Deus, sine prædirectione scientiæ conditionatæ. Quia autem prædeterminatio, non habet infallibilitatem ex nostro consensu, sed antecederet ante illum, hinc quamvis in sensu diviso ab illa possit non sequi eventus, idem adhuc positâ prædeterminatione, non salvatur libertas. Aristoteles lib. 1. de cælo T. 119. agnoscit etiam per nos, quod sedens quamvis non possit non

sedere retineat potentiam seu libertatem sedendi, sed quod liberè sedeat, ex eo contingit, quod necessitas illius sensus compositi, sit necessitas oriunda ex suppositione consequenti, hoc est ex suppositione ipsius utis libertatibitrii.

Deinde positâ prædeterminatione non querimus de hoc, quod debeat homo habere potentiam ut simul amet & non amet, nam etiam nos quantumvis excludamus prædeterminationem, non tamen agnoscimus, ut una dum amat homo, possit etiam non amare, sed difficultas in hoc est, an quod sit amaturus, oriatur ex prædeterminatione, vi cuius determinetur, ut non nisi amet, & si ita determinatur, quomodo id fieri potest salvâ libertate, concedimusque quod prædeterminatio ad amorem, & amor eodem instanti ponantur, sed querere restat, si prædeterminatio ad amorem est prior prioritate à quo, quomodo non destruit libertatem, si sit talis, ut illâ positâ, impossibile sit non sequi amorem.

Conceditur, quod si Deus præparet ad amorem media, quibus homo possit non uti & uti, licet sit defecto usus, salvanda sit libertas, sed querere restat, si essentia Prædeterminationis est, ut vi illius non nisi v. g. amet homo, quomodo positâ illâ, potest non uti ad amorem illâ prædeterminatione homo; Concedo, aliud esse ineluctabile, aliud non eluctandum; aliud irresistibile, ab eo cui non resistitur. Sed querere restat, quomodo prædeterminatio non sit irresistibilis, ineluctabilis, si positâ illâ tanquam causa eventus, impossibile sit non sequi eventum. Sanctus Thomas 1. 2. d. 2. quæst. 112. Art. 3. in Corp. solum loquitur de infallibilitate, sed in nitente exercitio prævisio libertatis, adeoque suppositionis consequentis, quod etiam vult S. Thomas q. 6. de veritate ar. 3. Ibidem etiam a. 3. quando dicit S. Thomas, quod Deus dedit modum rebus, ut sua voluntas impleteretur, loquitur vel de ipsâ potentia libera, jureque servandæ eam indemnem, vel de selectione auxilii, quod prævidit eventum habiturum, sed non loquitur de modo, vi cuius determinetur voluntas, ut hoc non nisi velit: & ratione hujus selecti auxilii, nihil resistit divinæ motioni, verumque erit quod dicit quodlibeto 12. art. 3. quod providentia divina certissimo modo ducat ad finem, licet auxilio non prædeterminante, sed selecto, ex iis, quæ sunt prævisæ eventum habitura, ratione cuius etiam selectionis auxilii, videre potest Deus secutionem eventus, cum nihil desit ut jam sequatur eventus. Quantumvis autem veritas hujus Propositionis, sol causabit fructum in planta, non habeat veritatem absolutam, eo quod adhuc multa desiderantur compingenda ad illam verificandam, & cum veritas hujus Propositionis absoluta non possit haberi, habetur non nisi conditionata ex suppositione v. g. quod

quod arbor concurrat, jam autem posito selectio auxilio, habentur jam omnia ad praevidendum absolutum eventum, quia & habetur cooperatio Dei & cooperatio creaturae, quibus positus habetur tota ratio absolutae certitudinis. Quod si non recurrimus ad praedeterminationem, ut habeatur absoluta scientia eventus gratiosis, sed ad selectionem auxiliorum, erit adhuc necessaria scientia conditionata tanquam praedirectiva illius selectionis, quae ipsa selectio facit, ut Deus praedestinans, noscat absolute, salvandum praedestinatum.

Punctum Difficultatis 3.

Occurritur aliis Responsionibus.

Tertium Argumentum contra Praedeterminationem formari solet, & à nobis formatum est 1. parte disp. 5. n. 458. Si Deus praedeterminaret, ad actus bonos, praedeterminaret etiam ad actus malos ob partem rationis; ad peccatum non praedeterminat, quia esset causa peccati. Ergo nec praedeterminat ad actus bonos. Contra ea, quae opposuit Gonet Parag. 4. ponenda sunt aliqua. Hinc

Notandum. Conceditur, quod in peccato distinguenda sint, conceptus Entitatis & actualitatis, à conceptu explicito deformitatis; sed querere restat, quomodo Deus non sit causa ipsius conceptus expliciti deformitatis, si ponit praedeterminationem ad peccatum, quae praedeterminatio est causa peccati, querere item restat, qui concessio decreto praedeterminativo ad actualitatem peccati, possit componi decretum, tantum permissivum peccati, quomodo enim permittit hoc Deus, qui determinat ut fiat non nisi peccaminosa actio, cum qua est indistincta actu, peccati deformitas.

Conceditur secundum ea, quae ipse adfert in reversione argumenti in principiis nostris recte inferri Deum esse causam peccati, quia habet decretum, de non concurrente, quantum ex illo est, ad Entitatem peccati; sed quomodo in principiis Thomistarum habet Deus voluntatem non concurrenti, quantum ex illo est, ad Entitatem peccati, si praedeterminat, ut non nisi ponatur actio peccaminosa, & ad hoc in praesenti attenditur. Unde per nos non attingit Deus formale peccati, quia quantum est ex illo, nequidem ad materiale concurrere vellet, cum tamen per Thomistas, determinet, ut non nisi ponatur actio peccaminosa, in qua imbibitur ratio formalis peccati. Ponit postea aliquas phrasas, sed illae non continent in se argumentum. Aliqua quae huc concernunt, vide 1. parte, loco citato num. 464.

Negatur dictis ad secundum, ideo homini tribui malitiam peccati, quia suo concursu attingit materiale peccati ut reduplicative tale. Reduplicaciones enim istae, sunt non nisi denomi-

nationes ab intentionibus nostris provenientes, ut autem dicatur homo peccare, non est necessaria ista Intentio & Denominatio reduplicativa. Pone enim quod reduplicatio ista non formetur, ponatur tamen actio peccaminosa, numquid non peccabit homo? Sed potius ex eo tribuitur homini malitia peccati, quia se ad illud determinat, cum potuerit non determinare, sciens ipsi materiali peccati innexum esse formale. Jam autem etiam Deus determinat, ad materiale peccati, sciens innexum esse illi, ipsum formale, & tamen potuisset non determinare ad illud materiale, si voluisset. Ex eo autem, quod non operetur Deus subiectione ad regulas morum, sed ut prima causa, non excusatur Deus sufficienter, quod non sit causa peccati, siquidem quantumvis esset causa peccati, dicendum esset, Deum non esse causam peccati, eo quod non agat cum subiectione ad regulas morum. Concedo quod Deus titulo causae primae teneatur providere creaturae media necessaria ad operandum, sed nego esse medium necessarium ad operandum, praedeterminationem ad materiale peccati.

Negatur dictis ad Tertium, quod si Deo placeat tanquam praedeterminatori, peccatum specificative sumptum, quod etiam illi non placeat sub conceptu malitiae, cum ista indistinguishantur à se, nemine cogitante; reduplicacionesque nostrae, cum non sint nemine cogitante, non eximent Deum, ne sit causa peccati nemine cogitante.

Negatur dictis ad ultimum, quod praedeterminatio ad materiale peccati, non influat cum eadem extensione in peccatum, cum qua influat Consilium inducens ad peccatum. Nam in primis probari debuisset: Si Deus in his circumstantiis praedeterminat ad materiale peccati, quod hoc ipso non praedeterminat ad lineam moralem, quae est indistincta nemine cogitante, ab ipso materiali. Probandum item fuisset, qui praedeterminans Deus, saltem non ita se habeat, ac ille qui est alteri causa peccati consilio suo; sed praescindendo ab ipsa malitia, consulendo illi, ut stet in delectatione, & praescindat à Dei offensa. Denique probandum fuisset, cum praedeterminatio sit causa Physica, qui se praecisive ad suum affectum habere potest, qui item non detur in creatis distinctio in ordine ad praedicata primò intentionalia, si concursus Physicus, attingit unam formalitatem, non attingendo aliam, illi identificatam realiter.

Concluduntur notanda.

Ponit aliqua Parag. 5. Gonet, sed quia ea non impugnant dicta à nobis primà parte in hac materia, ideo descendemus ad Parag. 6. tum.

Argumentum inter alia ad probandum, dari scientiam conditionatam, solet assumi à nostris hoc, quod

(P)

quod si non datur scientia conditionata, non possit dari scientia, quæ attingat hoc objectum: Si Deus daret Judæ gratiam A, converteretur; non enim hoc objectum cognoscit scientia simplicis Intelligentiæ, quia hæc est necessarium, non scientia visionis, quia hæc est existentium. Ergo debet dari illa scientia conditionata. Ad hæc quæ in Contra objicit Gonet diluenda.

NOTO. Immerito illum assumere, quod dicta conditionalis possit nosci per scientiam simplicis Intelligentiæ, ex eo quod licet extrema sit contingentia, illatio tamen sit infallibilis. Negamus enim illam illationem esse infallibilem, infallibilitate oriunda ex suppositione antecedenti, qualis esset suppositio prædeterminativa, licet sit infallibilis infallibilitate orta ex suppositione consequenti nostri consensus. Non nego tamen hanc conditionatam, si Deus prædeterminaret, converteretur Petrus, posse nosci per scientiam necessariam, nam esset circa objectum involvens causam necessariam, nempe prædeterminationem. Quod si formetur Objectum attingibile hæc phrasi, si Deus daret Judæ gratiam efficacem, converteretur, tale objectum posse attingi sub diversa formalitate à scientia simplicis intelligentiæ, & sub diversa, formalitate à scientia visionis, ita tamen ut relinquatur locus scientiæ conditionatæ, quæ prævideat hoc objectum: Hæc foret gratia efficax respectu Judæ, si Deus illum convertere vellet. Unde & Nostrates non ad hanc conditionatam, si Deus daret Judæ gratiam efficacem, converteretur, adstruunt necessitatem scientiæ conditionatæ, sed ad noscendam hanc, si darem Judæ hanc gratiam, foret illa efficax.

Conceditur observationi Gonet primæ. Fieri posse quod conditionalis, in vi consequentiæ necessaria sit, quamvis utrumque extremum sit liberum, sed id tum temporis contingit, quando extrema quæ ceteroqui illum actum ponunt, tanquam necessarium, applicantur tantum à causa libera, & de cetero proficiscitur objectum à Principio necessario, asserimusque ad talia noscenda, non esse necessariam scientiam conditionatam, & ita v.g. hæc Propositio, si Petrus videt parietem, paries est visus, potest nosci, & non à scientia conditionata, quia ipsa visio, ad quam fit applicatio liberè, est actus necessarius, sed negamus si non tantum applicatio, se & actio sit libera, & non proficiscatur à Principio antecedenter inferente, ut nonnisi hoc possit fieri, quod id possit nosci ab alia scientia quam à conditionata, consequenter etiam negamus veritatem conditionalis, ut sic, esse veritatem ex vi consequentiæ necessariam.

Conceditur advertendo secundo divinum decretum dupliciter importari posse, & per modum conditionis expressæ, & per modum implicitæ positi. Concedimus ulterius, quod hæc conditionalis, si Deus daret Judæ gratiam effi-

cacem, converteretur, cognoscatur à scientia necessaria, utpote innitente huic Principio. Quicquid Deus efficaciter vult, eveniet, sed relinquatur adhuc locus scientiæ conditionatæ respectu hujus objecti. Hæc gratia respectu Judæ si daretur, foret efficax.

Conceditur Responsioni ad primum. Quod si Deus decreverit ut creatura liberè operetur, sit illa liberè operatura, sed negamus, quod possit decernere ut creatura liberè operetur, si prædeterminat ut creatura nonnisi hoc operetur, de quo actum est repetito supra, & præcipue primâ parte Disp. 5. n. 173. per quod etiam fit satis & auctoritati S. Thom. 3. contra gentes cap. 94. & Anselmi, lib. de Concordia cap. 1. Quod etiam opponi debet dictis ad argumentum 2. Quod autem inibi ad objectionem secundam dicit, objectum scientiæ conditionatæ sic expressum, si vocavero Petrum, consentiet, quod inquam dicit, objectum hoc in suo antecedenti, non dicere vocationem & efficacem decretum, sed solam vocationem, cum qua ut sic non connectitur necessario consensus, id explicandum fuisset, certè enim in ipsa vocatione per Gonet, includitur efficax decretum, cum ipsum Vocare efficaciter, sit prædeterminare. Et quando dicit cum vocatione quidem non connecti necessario consensus, videtur tacite insinuare, quod necessario connectatur consensus cum decreto, si autem necessario, quomodo liberè?

Conceditur, suppositionem consequentem, cum oriatur ex ipso exercitio libertatis, non auferre libertatem, nec enim potest, ex suppositione libertatis oriri aliud, quam exercitium libertatis; sed negamus quod oriatur à prima radice libertatis, hoc ipso salvet libertatem, cum radix illa libertatis, exercere se possit ad dandum medium necessarium, hinc quod medium necessarium, non sit prædeterminatio, salvari præcisè ex eo non potest, quia proficiscitur à radice libertatis. Concessimus supra, quod si aliquid proficiscatur à primo libero, ut formaliter tali, hoc est, communicante perfectionem de linea liberi, hoc ipso sit illud liberum, sed negamus, quod prædeterminatio, faciens ut nonnisi hoc fiat, possit simul determinare, ad modum operandi liberè, & habere ipsa prædeterminatio, perfectionem communicatam de linea liberi. Conceditur quod amorem beatificum non præcedat iudicii indifferentia de amando Deo, sed negamus ex eo sufficienter salvari, quod aliquid proficiscatur à primo libero, ut formaliter tali, quia supponit iudicii indifferentiam, cum possibilis sit coactiva prædeterminatio, sequens iudicii indifferentiam objecti, potest compati actum necessarium, sicut & iudicii indifferentia, de bonitate objecti, potest compati actum odii, vel si vis dicat, etiam iudicii indifferentiam haberi non posse.

posse, si quis cogitet superventura prædeterminationem, quā posita, impossibile sit ne fiat eventus. Et sicut si Petrus habeat iudicii indifferenciam de manendo in hoc loco, interim intercipiatur, ut hic nonnisi maneat, non sequitur Petrum liberè hic manere; ita si post iudicium indifferens de agendo, determinor ut nonnisi agam, liberè non ago.

QUÆSTIO IV.

De habitudine Decreti divini, in danda gratia efficaci.

Quidquid sit in quonam stet Gratia efficacia, solum in præsentem attendemus ad habitudinem decreti divini, in ordine ad illam dandam, procedetq; Resolutio per hypothecas.

ASSERO I. Posita efficacia intrinseca Decreti divini de operatione secutura, non sequitur, obiectum illius decreti quod est auxilium ad talem operationem dandum, fore eo ipso intrinsecè efficax.

RATIO. Quia efficacia intrinseca Decreti divini stat in actu absoluto ex parte actūs (hæc enim verbis differunt) decretum autem absolutum ex parte actūs non infert efficaciam intrinsecam auxilii: quia posset Deus decretum tale facere; Volo ut convertantur omnes homines, ubi hæc candela accensa fuerit. Quo casu posito, ipsa candela, ipsa accensio, non habebit efficaciam intrinsecam: immutata enim manebit illius essentia quæ conversionem de se non infert, & tamen tunc erit decretum absolutum ex parte actūs, adeoq; intrinsecè efficax.

Respicit hæc Ratio duo principia; primum: quia decretum Dei non immutat rerum essentias. Secundum: quia, nisi implicet, potest Deus facere quodlibet per quodlibet.

ASSERO 2. Posita efficacia intrinseca decreti divini, de danda gratia quæ non est intrinsecè efficax, & posita efficacia intrinseca Decreti divini de danda gratia sufficienti, obiecta illorum decretorum non distinguuntur in ratione entis, virium, operativi &c.

RATIO. Quia si ita distinguerentur, hoc ipso jam foret illud auxilium intrinsecè efficax.

ASSERO 3. Si daretur efficacia intrinseca, decretum Dei intrinsecè efficax, haberet jam obiectum quod diceret plus jam in se, idq; inæqualitate oriundum non ex sola præcisè ratione doni.

RATIO. Quia præcisè ratio doni majoritas, quæ in illo genere, est majoritas in extrinseco aliquo: majoritas enim ex eo orta, quod datur, quia prævidetur aliquid effectum habiturum est ab intrinseco, nempe à prævidente.

ASSERO 4. Si non datur efficacia intrinseca, eo casu, cur huic potius detur gratia efficax, non illi, non debet referri in obiectum decreti divini, attingentis aliquod connotatum illius auxilii.

RATIO. Quia convertendus non caret connotata non conversione, jam autem non convertendus habet etiam connotata conversionis, ut

terq; pro statu conditionato. Ergo cur huic potius detur gratia efficax non illi, id non debet referri in illa connotata. Ita Aug. lib. ad Simplicianum q. 2. Si semel, inquit, concesseris potuisse quengquam vel approbari vel improbari ex eo, quod nondum in illo erat, sed quia Deus futurum esse præsciebat, conficitur, eum etiam potuisse ex operibus approbari, quæ in illo Deus futura esse præsciebat, quantumvis nondum esset aliquis operatus, & omnino te nihil adjuvabit, quia nondum nati erant.

ASSERO 5. Quod huic potius detur gratia efficax, cum quæ est convertendus, non illi, referri debet in decretum Dei selectivum. Ita August. lib. 1. de Prædestinat. Sanctorum c. 9. Cur autem istum potius, inquit, quam illum liberet, inscrutabilia sunt iudicia ejus. Et nisi hoc assertum teneatur, non poterunt explicari plura loca Augustini. Talis est inter alia lib. 1. ad Simplicianum qu. 2. titulo marginali, si Præscientia. Textus sic habet: Si propterea solum dictum est non volentis nec, currentis sed misentis est Dei, quia voluntas hominis sola non sufficit ut iuste recte leg. vocamus, nisi adjuvemur misericordia Dei (en Augustinum non contentum etiam operibus ex misericordia profectis) posset & hoc modo dici, igitur non misentis est Dei, sed volentis est hominis: quia misericordia Dei sola non sufficit, nisi consensus nostre voluntatis addatur. At illud manifestum est, frustra nos velle nisi Deus misereatur, illud autem nescio quomodo dicatur, frustra Deum misereri nisi nos velimus. Hic locus, ut dixi, non potest intelligi quod loquatur, de operibus naturalibus: loquitur enim de operibus profectis ex misericordia, adeoque ex gratia. Non loquitur etiam hic Augustinus contra eos, qui post opera nonnisi naturalia tum primum requirebant gratiam: quia argumentum ex loco Apostoli desumptum, etiam contra supernaturalia opera videtur tenere; nam etiam tunc non tantum misentis id esset Dei, sed & volentis hominis.

Non loquitur etiam Augustinus, ut excludat consensum vel dissensum qui sit in nostra potestate: quia illum aliàs repetitio adstruxit. Ergo intellexit Augustinus solam misericordiam Dei selectivam sufficere: eo quod illa selectio non pendeat à nostro consensu conditionato, tanquam determinante ut hoc seligatur, damnabiturq; vi hujus asserti propositio, quam damnat Augustinus, nescio, inquit, quomodo dicatur frustra Deum misereri nisi nos velimus, damnabitur autem: quia quamvis nos velimus conditionatè, si ille non seligat, non est futura conversio.

Non minùs expressè id habetur Enchir. ad Laurent. cap. 95. ubi explicans illa verba: Quæcumq; voluit fecit: Quod utique (inquit) non est verum, si aliqua voluit & non fecit, & quod est indignum, idè non fecit, quoniam ne fieret quod volebat Omnipotens, voluntas hominis impedivit. De Genesi ad litteram lib. 11. cap. 9. Sed posset,

(P) 2 inquit,